



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Ephræm iuuenis quàm mirabili prouidentia Dei in carcerem sit
coniectus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

spem accidunt, sæpe potest facere, quæ ipsam spem superant.

§. II.

Ephræm iuuenis quàm mirabili providentia Dei in carcerem sit coniectus?

Videtur Dei erga Ephræm curam? videtur, qualis Ephræm ipse fuerit? Audite nunc quæ Deus huic viro permiserit contingere; immò quæ immiserit adhuc iuueni; & audite ipsum apud suprâ citatos scriptores, his ferè verbis ea enarrantem. A parentibus in suburbium missus aliquando, in medio nemore, à nocte oppressus sum. Opiliones, qui gregem in silua pascebant, occursantes quærunt, quò sub imminentem iam noctem tendam? Missu parentum, inquam, ad suburbium illud propero. Diuertere, inquit, ad nos; occiduum iam solem vides, prima luce reliquum viæ decurres. Victus humanitate, pastorum mapalibus successi. Sed, intempesta nocte, ouilib. insidiatæ feræ gregem inuasere, tota silua distulere. Postera die magistri pecoris caulas inanes conspicati, me furibus ducem rati, nequidquam Diuûm hominumq; fidem implorantem prætori vinctum sistunt, qui custodiæ mandatum, duobus reis adiunxit, quorum

Hoc in vita illius non exprimitur; sed in operibus ipsius Ephræm ab ipso met naratur to. 2. p. 162. tom. 3. p. 599.

quorum vterq; exors criminis, cuius affinis putabatur; occulta tamen vindicta Numinis vtrumq; prosequente, in suspicionem alter cædis, alter adulterij inciderat. Iam quadragesimum diem in carcere trahebam, cum se dormienti species ephebi vultu formidabilis offert, qui me tamen placidè affatus: Ephræm, inquit, quis te casus tulit in vincula? Domine, inquam, aspectu tuo percussus totis artibus contremisco, fatiscoque. Pone metum, inquit, & causam vinculorum expone. Domine, inquam, missu parentum in suburbium festinabam, sed tenebris occupatum custodes pecoris in tugurium inuitarunt; interim de nocte gregem lupi inuadunt, ac tota silua dispergunt. Hinc ego, postera luce, à pastoribus arbitrantibus, ductu meo prædones ad ouilia penetrasse, ad prætoria vincus, quamuis insons meramque calumniam passus, raptus sum. Heu quali me portento inuoluit fortuna? an potiùs Deus, sine cuius nutu nihil accidit?

Quid hîc vlteriùs Ephræm vel dicere poterit, vel cogitare, facilè quis de seipso conijciet. Nam iam parentum, ex amissione filij tam chari, dolor illi ob oculos versabatur;

batur; iam carceris pædor, & diuturnitas;
 iam innocentia conscientia certò scientis,
 se hîc ream non esse; iam torturæ metus;
 iam malitia aut suspicio tam perniciofa pa-
 storum; iam iudicis seueritas; iam ipfius
 Dei omnia videntis, & prohibere tantam
 iniuriam potentis, duriffima permissio. Mul-
 ti vsque ad impatientiam, & blasphemias
 prorupiffent, dixiffentque, *Qui non deliquit,* Plaut in
decer Audacem esse confidenter pro se, & proter- Amphitr;
uè loqui. Non fecit tamen hæc Ephræm. Sed
 se suaque omnia Deo permisit, & ad preces
 confugit; mansuetaque oratione ephebo
 querelam obtulit, se esse innocentem. Hîc
 mihi iam adeste, quicumque vos sine pecca-
 to esse putatis, & innocentiam semper
 obtenditis, Deumq; de iniustitia, & pecca-
 to arguere vultis, quoties vobis aliquid est
 patiendum; quoties contumelia, iniuriaque
 irrogatur; quoties filius moritur; aut villa
 incenditur. Nimirum *nulli mortalium ini-* Sallust. in
ria sua parua videntur: multi eas grauius equo Catilin.
habuere.

§. III.

*Duo alterius criminis rei, ob crimen, quod non
 fecerant in carcerem coniecti sunt.*

Angelus (aliud enim non fuit Ephebus
 F f ille)